

**R E I M P R I M A T U R .**

*Fr. Silvester Martini Ord. Prædic. Inquisitor Generalis  
Mediolani &c.*

*Franciscus Curionus pro Eminentiss. & Reverendiss. D.D.  
Card. Archiep.*

*Attenta adversa valetudine Egregii Provincialis Carlii Ber-  
sanus pro Excellentissimo Senatu.*

**T H E O L O G I A**

**S U P P L E X**

**C O R A M**

**C L E M E N T E X I I I .**

**P O N T . M A X .**

**C L E M E N T I N Æ C O N S T I T U T I O N I S**

*Unigenitus Dei Filius &c.*

**Explicationem atque intelligentiam submisit rogans.**

*Ad Catholicarum Scholarum libertatem, indemnitate ac pacem, ad purioris saniorisque doctrine tutelam,  
ad Sacrorum Conciliorum, ac Patrum defensionem; ad hereticorum protervorumque hominum, distincta  
illa ambiguarum propositionum damnatione turpiter abutentium, confusionem, ac dedecus sempiternum.*

# P R Æ F A T I O .

**N**ON multa praefero studiose Lector, ut suscepti consilii rationem aperiam, quae latis, vel me tacente, se prodit ipsa. Unam, quam in opere faciundo tenuerim methodum, paucissimis verbis dicam.

Clementinae Constitutionis *Unigenitus Dei Filius &c.* cujus occasione tot actantae superioribus annis excitae sunt turbae, novaeque excitantur in dies, adversarios ac refractarios, non unius generis observavi, nec uno omnes eodemque sine ductos deprehendi. Alii aperto Marte oppugnant, affectis illi sensibus prorsus erroneis, ac etiam haereticis; ut vel sic misere deformatam, horridaque larva obductam averterent; & tanquam adulterinam doctrinae formulam, ab avita Ecclesiae fide longius aberrantem, proterve rejiciant. Averfantur alii teste ac per cuniculos, qui cum eam religiose, ut videri volunt, ac reverenter accipiant, irreligiose tamen, & irreverenter adulterant, temere vitiant, foede corrumpunt, peregrinis quoque pravisque sensibus attributis; non ut oderint ac refugiant, sed ut solenni illo Apostolicae Sedis judicio, nova nescio quae profanae doctrinae commenta confirmant; & in Scholarum nostrarum honorem, sub ea Pontificiae auctoritatis umbella, ovantes inducant.

Ut igitur opportunam congruentemque Constitutionis Clementinae defensionem suscipiam, quae illius adversarios & oppugnatores exarment, hostilesque conatus infringam; facturum me operae pretium existimavi, si puram nitidam castam explicationem, per singulos illius articulos, ederem; quae falsa illa, sinistra, iniqua, dolo mala ficta Refractoriorum interpretamenta longe depelleret.

Quamquam porro publicis Theologiae Professoribus licitum semper fuerit, atque integrum, non modo Constitutionum Apostolicarum, Sacrorumque Ecclesiae Canonum, verum etiam divinarum Scripturarum explicationes atque interpretationes pro causa quam tuentur opportunitate, facere Marte suo, quibus verum earundem atque germanum sensum aperiant, (ad interpretandum enim Doctores inaugurantur;) ut tamen susceptum opus modestius agam, meamque in Sedem Apostolicam, cujus hic causam oro, venerationem cultumque profitear; Clementinae Constitutionis explicationem non tam faciam ipse, quam qualis fieri possit ac debeat, ab eo ipso, qui sacro illo nunc sedet solio, reverenter exposcam; eamque non meo tantum, sed & totius Theologorum ordinis nomine supplex petam: quod in tanti re momenti, a summo totius Ecclesiae Doctore atque Magistro, doceri Theologi malint, quam docere; discere potius, quam dicere.

Hoc si precibus nostris documentum dari contigerit; (quo verus germanusque Clementinae Constitutionis sensus Theologis constet;) tunc certe ora comprimant adversarii, aeternoque silentio damnabuntur. Id vero si forte negetur quod humilime petimus, hunc saltem fructum ex hac nostra lucubratione referent Theologi Augustiniani praesertim, atque Thomistae; quod datas hic in Quaesnellianarum propositionum examine, variorum sensuum distinctiones mutuando, usurpandoque, adversariorum suorum Clementinam Constitutionem objicientium tela deludent; aliudque in Quaesnellio damnasse Clementem ostendent, quam quod ipsi suis in Scholis omnium celeberrimis docent.

THEOLOGIA  
SUPPLEMENTUM  
CORAM  
CLEMENTINE  
PONTIFICIAE  
CONSTITUTIONIS  
UNIGENITUS DEI FILII &c.  
Explicationem atque intelligentiam tubi esse rogans.

## INDEX CAPITUM.

Supplicationis Clementi XII. Pont.  
Max. factæ.

- CAPUT I. **D**E lésione Scripturæ Sacre.  
 II. De Divinorum Officiorum celebrationibus.  
 III. De dilatione absolutionis, & reconciliationis penitentium.  
 IV. De impiorum Oratione.  
 V. De timore pœnarum.  
 VI. De discrimine antiqui, & novi sœderis.  
 VII. De Ecclesia, & Juramentis in ea facti solitis.
- VIII. De legibus, & Censuris.  
 IX. De Virtutibus Theologicis.  
 X. De afflictionibus & perfectionibus fidelium.  
 XI. De gratia primi hominis innocentis.  
 XII. De gratia hominis lapsi.  
 XIII. De voluntate salutis omnium hominum, deque Christi morte pro omnibus optata.
- PERORATIO Ad Clementem XII. Pont. Max.  
 QUÆSITA Ex Superioris Supplicationis observationibus nata.



## THEOLOGIA

SUPPLEX

CORAM

CLEMENTE XII.

PONT. MAX.

CLEMENTINÆ CONSTITUTIONIS

Unigenitus Dei Filius &amp;c.

Explicationem atque intelligentiam submisit rogans.

Ad Catholicarum Scholarum libertatem, indemnitate ac pacem, ad purioris saniorisque doctrinæ tutelam, ad Sacrorum Conciliorum, ac Patrum defensionem; ad hæreticorum protervorumque hominum, distincta illa ambiguarum propositionum damnatione turpiter abutentium, confusionem, ac dedecus sempiternum.

BEATISSIME PATER.



AMETSI Pontificiæ dignitatis injuria videri possit, factam in Petri sede decisionem aliquam, latumque judicium, nisi prius ab ipso explicetur iudice, accipere nolle; nulla tamen injuria fuerit, sed cultus potius obsequium observantia, cum semel decisionem Pontificiam reverenter acceperis, illius demum explicationem, ut & observari religiosus, & contra oppugnantes defendi validus possit, suppliciter postulare. Sic sane subditi vel obsequentissimi, quas reverenter acceperis prius Principum leges, quo illas servent accuratius, explicari sibi sapissime postulant: ipsique interdum Apostoli, accepta reverenter ex Christi Domini ore sacratissima documenta explicari sibi petiere; quæ & ipse cœlestis doctrinæ Magister, nullam divinæ Majestatis auctoritatique injuriam passus, dignatus est explanare; ut dignos illos doctrinæ suæ præcones faceret: qui certius fidelibus traderent, quæ plenius a Domino didicissent. Lucæ 8. Matth. 13. & 15. Marci 7.

Ea consideratione bene animatus Theologicus Ordo, hanc sibi fiduciam sumpsit, ut Clementinæ Constitutionis explicationem, quanta potest animi demissione suppliciter peteret: non quod eam nisi explicetur, nolit accipere; quam & accepit dudum, & sincero mentis assensu complexus est; nihilo dubitans, quin latum in Petri sede judicium, ex illius quoque mente atque sententia prodierit: sed ut Clementis XI. mentem edoctus, sanctam inibi doctrinam in Scholis certius tradat; eosque validius resellat perveracis ac refractarios, qui eo nuac Apostolicæ Sedis iudicio, ad ipsius Pontificiæ dignitatis injuriam, ad animarum perniciem, ad sanctioris disciplinæ laxamentum, ad probatissimorum dogmatum proscriptionem, ad Augustinæ cæterorumque Patrum contempionem, insipienter abutuntur.

Latus manavit hoc malum, quam ut ultra dis-

Serry Tom. V.

simulari queat: hujusque est gravitas tanta, ut hoc uno possit remedio confanari. Cum enim propositiones Quænellianæ ferme omnes, se ipsis quidem ambiguae sint, variisque sensibus obnoxie; iisque pares atque consimiles loquendi formulæ atque sententiæ divinis in Litteris, in Patrum Codicibus, in Conciliorum Decretis passim occurrant; ingens profecto in Theologica disciplina confusio nascitur atque turbatio; nisi damnatus a Clemente XI. propositionum sensus explicetur, & ab indemni sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum sensu, apertissime distinguatur.

Fideles quippe, iique numero plures, quibus satis non est acuminis & ingenii, ut damnarum sensum ab indemni distinguant, Ecclesiæ Patres ac Synodos sub Quænellii corio vapulare, imprudenter existimant. Vastri nonnulli scribillatores, ea variorum sensuum, quibus damnatæ propositiones obnoxie sunt, confusione abusi turpiter, latam a Clemente censuram, in receptissima probatissimaque Catholicarum scholarum dogmata maligne detorqueant; ipsamque D. Augustinum nunc tandem redactum in ordinem, ac per Quænellii latus Pontificia censura petitur, audacter effutunt. Episcopi quoque non pauci, qui Clementinam Constitutionem reverenter, ut officium postulat, acceperunt, interno inter sese diffidio commissi, eandem, prout variis ducuntur affectibus, contrario ac pugnantem sensu interpretari, alia alii dogmata in suis diocesis recipi, aut rejici volunt; prout ea Clementis iudicio damnata sibi fugunt, aut forte permessa. Quo fit, ut sublata scholis Catholicis libertate, non una jam ubique sit Fides; sed varia variis in Ecclesiis teneatur; quæ in una Orthodoxi Theologi audiunt, in altera heretici, aut certe suspecti, minus Catholicæ habentur. Quid tandem Hæretici, quibus Romanam Ecclesiam calumniis profcindere solenne est, eodem semper ludentes damnatarum propositionum æquivoco, violatam Clementinam Constitutionem Apostolicam fidem, rescissam mo-

B 5

rum